UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E. Doctoris Vita

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XLI. Orthodoxi Patres certatim laudibus accumulant B. Augustinum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

Visual Library

est amplius, ipsi Apostolo Paulo parem, vel certè proximum statuunt. *In scholâ nostrâ,* inquit P. Melanchthon, *gratam Augustini mentionem esse decet: cuius doctrina cùm sit necessaria Ecclesiæ, meritò Augustinum amare debemus, qui cælestem illum thesaurum præcipuè conseruauit.* Ampliùs etiam Caluinus Augustino tribuit, qui censet ab eodem omnem antiquitatis doctrinam compendiosiùs & fideliùs traditam. *Nec opus,* inquit, *est laborando inuestigare quid veteres senserint, quando vnus Augustinus ad id sufficere potest. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi voluerint.* Hæc Caluini aliorumque nouatorum, suo se gladio, instar Goliæ, perimentium, de S. P. Augustino censura: qui sibi & Ecclesiæ Romanæ perpetuam constantiam seruans, verioribus antiquorum Patrum encomiis ornatur.

Declamatione in S. Augustinum. NOTA.

Lib. 3. Instit. cap. 3.

NOTA.

CAPVT XLI.

Orthodoxi Patres certatim laudibus accumulant B. Augustinum.

ATQVE vt ex multis paucorum adferam testimonium, *Macte* (inquit Hieronymus) *virtute, in orbe celebraris, Catholici te cõditorem antiquæ rursum fidei venerantur & suspiciunt, qui contra flantes ventos*

Epist. 25. apud S. Augustinum.

tos ardore fidei perstitisti. Et alibi : *Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, à te dissertum est.*

De eodem S. Paulinus Nolanus : *O verè sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur. O Ecclesiæ lucerna, quæ latè Catholicis vrbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas! Os enim tuum, fistulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim.* Epist. 31. apud Augustinum.

Et alibi : *Augustinus subtiliùs omnibus volans, omnia reserauit, & ideò meritò Angelus non naturâ, sed gratiâ nuncupatur.* Epist. ad Valerium.

De eodem Cęlestinus Pontifex: *Augustinum sanctæ recordationis virum, numquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit.* Tom. 1. Conc. ad Episc. Gallię.

Possidius: *Augustinus homo cælestis, imago diuinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus sapientiæ, præco veritatis, eructator diuinorum eloquiorum, inquisitor prædictorum. Augustinus par Angelis in feruore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum reuelatione, par Apostolis in prædicatione; par Martyribus in desiderando passionem, par Confessoribus in disciplinarum tra-* In Epist. ad Macedon.

ditione, & par Virginibus in continentiæ obseruatione. Et concludit: *Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essem sufficiens ad laudandum tantum Patrem ac Doctorem.* Ac in eumdem modum ij, quos subiicio, permagnificum de eodem testimonium reddidêre.

Epist. ad Amatum. Hilarius Episcopus Arelatensis: *Doctor excellentissimus Augustinus, defensor Fidei nostræ, in diuinâ meditatione semper assiduus, metu mortis intrepidus, destruxit sacrilegos, atque superauit hæreticos.*

In Prologo super Psal. M. Aurelius Cassiodorus: *Doctor eximius beatissimus Augustinus, debellator hæreticorum, defensor fidelium, literarũ omnium egregius magister, decurrit tamquam fons purissimus nullâ fæce pollutus; sed in integritate fidei perseuerans, nescit locũ dare hæreticis,* &c.

Lib. 8. Registr. c 37. Gregorius Magnus: *Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini Opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis.*

Lib. De duabus naturis in Christo. Ioannes Pontifex Romanus: *Augustini doctrinam secundùm præcessorum meorum statuta, Romana sequitur & seruat Ecclesia.*

Lib. 6. Etym. c. 8. Isidorus Hispalensis Episcopus: *Hieronymus sex millia librorum Origenis se legisse fatetur, horum tamen omnium studia Augustinus ingenio & scientiâ suâ vicit.* Quare

Pro-

Prosper scientiam eius comparat arenæ: vt enim hæc innumerabilis, ita & libri ab eo editi.

Serapion: *Fateor me Augustini assertiones ita probatas habere, vt seipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum putauerit in aliquo reprehendendum eloquio.* Inter recētia Opera S. Irenæi

Ildephonsus, *Audiant*, inquit, *B. Augustinum, cui contradicere fas non est.* Serm. 2. de B. Virg.

Remigius Antisiodorensis: *Sicut sol in lumine excedit omnes planetas, ita Augustinus omnes Doctores excessit in exponendis Scripturis.* Et alibi: *Sicut stellæ lumen à sole recipiunt, sic omnes Doctores scientiam recipiunt ab Augustino.* In 2. ad Corinth. In Psalmorum expositione.

Rupertus Tuitiensis: *In Augustino Spiritus manifestè operatus est, quod se dignum fuit: ad laudem suam, ad Ecclesiæ suæ defensionem, Catholicæq; fidei perpetuam munitionem. Iste est Augustinus, columna & firmamentum veritatis: & verè columna nubis, in quâ thronum suum posuit sapientia Dei.* Lib. 7. De oper. Spiritus sancti, cap. 19.

Haymo: *Augustinus in elucidandis quæstionibus, omnes Doctores post Apostolos præcellit.* In 2. ad Corinth. c. 12.

B. Vincentius Ferrerius: *Audeo dicere, omnes Doctores qui venerunt post Augustinum, sustentantur super eius doctrinam, sanctam, puram, Catholicam auri purissimi, sine* Serm. De S. August.

errore falsarum opinionum: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictū suum, si potest habere vnam auctoritatē Augustini.

Concilium Quintum Generale: *Sequimur per omnia S. Augustinum, & suscipimus omnia, quæ de rectâ fide, & condemnatione hæreticorum exposuit.*

Concilium Florentinum: *Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorum Quinta Synodus consecrauit.*

Ecclesia: *Augustinus Lux Doctorum, Firmamentum Ecclesiæ, Malleus hæreticorum, Summum vas scientiæ.*

Serm. De Translat. S. Monicę.

Martinus V. *Quicumque de Christo, de Fide, de Religione aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, vt nihil pænè ex Sacris literis posset nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo iam auctore factum vt nec Philosophis sapientiam inuideamus, non Oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum ingenia requiramus; non denique nobis acumen Aristotelis necessarium sit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non grauitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia, non cuiusquam illius generis hominum scientia ac virtus documento nobis esse debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apostolorum voces refert, idem omnem omnium Scri-*

Scripturarum sensum exprimit. Vnus postremò omnium Patrum sapientumq; ingenia ac studia exhibet. Si veritatem quæritis, si doctrinam, si pietatem; quis doctior, quis iustior, quis, vt ita dicam, sanctior Augustino? Et paulò pòst: *Augustini tanta extant erga omnem Catholicam Ecclesiam beneficia, vt nulli pænè, ita dicam, Sanctorum maiora merita debeamus. Quidquid enim simul omnes Apostoli plantauerunt, quidquid Apollo atque alij Apostolorum sectatores rigauerunt; hic coronauit. Quamobrem quæ mulier Religionem expetens, nolit inter B. Monicæ dicatas censeri? Quis hominum sub alio potiùs debeat quàm sub Augustino capite, velle tueri Religionem? Nempe si magna est Philosophorum gloria, vbi alicuius clarissimi Principis sectatores dicuntur; quanta vobis* (ad Eremitas Augustinianos exclamat) *& quàm merita vestræ Religioni laus est, Augustinum ducem ac parentem habuisse?*

Ioannes Baptista Ægnatius: *Neminem certè inuenies quem ipsi Augustino præponas, siue vim ingenij, siue acumen aut præstantiam rerum scriptarum æstimes. Siquidem tam vera est in eo pietas, talis fides, tanta eius doctrina, vt nemo sit, qui vel transuersum vnguem ab eius sententiâ discedere audeat.* De exemp. Illust. vir.

Pamphil. in Chron. f. 24.

Ludouicus Viues: *Fuit viro illi* (Augustino) *studium vberrimum, cognitio sacrarum Scripturarum exactißima, iudicium acre & extersum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipse sinceriorꝭ pietatis diligentißimus propagator, moribus manſuetißimis, & ad caritatem Euangelicam effictus, vitæq; ſanctitate inſignis & adorandus.*

Lib. 3. De vitâ contempl. & Epiſt. De grat. & libero arbit.

S. Proſper: *S. Auguſtinus Epiſcopus, acer ingenio, ſuauis eloquio, ſæcularis literaturæ peritus, in Eccleſiæ laboribus operoſus, in quotidianis diſputationibus clarus, in omni actione ſuâ comptus, in expoſitione fidei noſtræ Catholicus, in quæſtionibus abſoluendis acutus, in reuincẽdis hæreticis circumſpectus, & in explicandis Scripturis canonicis cautus: præcipua in hoc tempore portio Domini ſacerdotum.* Et lib. Περὶ ἀχαρίστων, quod honoris cauſsâ hîc, velut cataſtrophen ſubiicio, hoc carmen cecinit:

Auguſtinus erat, quẽ Chriſti gratia, cornu
Vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo,
Accenſum vero de lumine; nam cibus illi
Et vita & requies Deus eſt, omniſq; voluptas
Vnus amor Chriſti eſt, vnus Chriſtus honor illi,
Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in ſancto regnat ſapientia tẽplo.

Iſtius

Istius ergo inter cũctos, qui de grege sancto
Insanas pepulêre feras, industria maior,
Maius opus, totũ præstantiùs imbuit orbẽ:
Nam quocumque gradum conuertit callidus hostis,
Quiq; per ambages ancepsiter egit opertas,
Huius ab incursu est præuentus, mille viarum
Insidiis aditũ non repperientibus vllum.
Cumq; foris rabies auidorũ exclusa luporũ
Frenderet, inq; omnes mendacia verteret artes;
Ne mentes vllarũ ouium corrũpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis.
Istius ore viri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum fluxêre per omnem,
Quæ mites humilésque bibunt, campisq; animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere riuos.

Hieronymus denique Torrentius suprà, & Ioannes Pistorius Nidanus (apud Ant. Possevin. in Augustino) Ioanni Pappæ hæretico, *Accedes*, inquit, *ad Christi Ecclesiam explicatam in S. Augustini De vnitate Ecclesiæ libro; qui vnus Augustanæ confessioni iugulum incîdit, & Lutheranismum euertit funditus.*